



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis
Romanorum Pontificum**

Liutprandus <Cremonensis>

Moguntiae, 1602

XCI. S. Gregorius II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

CONSTANTINVS.

A.DCCVIII.

CONSTANTINVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit annos 7. dies 15. Hic ordinauit Felicem Archiepiscopum Rauennatem, qui iuxta antecessorum suorum consuetudinem scribere noluit, fastu arrogantia tentus. Qui postea elatione superbiae suae à Iustiniano Augusto capi iubetur, oculis priuatur, & in exilium in Ponticam mittitur: Sed mortuo Imperatore ad sedem propriam reuertitur, & sic humiliatus ab Apostolica sede veniam petit, & absolutionem promeruit. Prædicti Papæ temporibus venit Romam Benedictus Mediolanensis Archiepiscopus, & certauit pro Ecclesia Ticinensi, sed conuictus est, eo quod à præfatis temporibus Ticinensis Ecclesiae antistitis consecratio ad sedis Apostolicæ Pontificem pertinebat. Ordinauit autem Episcopos 64. presbyteros 10. diaconos 2. Obiit autem 6. Idus April.

X C I.

S. GREGORIUS II.

A.DCCXIV.

GREGORIUS, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos 16. menses 9. dies 11. Hic in Germania per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicauit, & gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis conuertit ad Christum. Huius temporibus Sarraceni Franciã occupare conati sunt, sed iudicio DEI vna die trecēti & sexaginta quinq; millia à Francis ceciderūt, vt epistola à Francorum Duce Pontifici missa continebat. Hic constituit, vt Quadragesimali tempore, quinta videlicet feria ieiunium, atque Missarum celebratio fieret, quod prius non fiebat. Huius temporibus L E O Imperator ad peiora progressus compulit omnes Constantinopoli habitantes, vt Sanctorum imagines deponerent, & igni consumerent. Cuius errori, quia GERMANVS non consensit Patriarcha, à sede est pulsus, & in eius loco Anastasius presbyter est ordinatus. Hic in Synodo communi omnium præfidentium iudicio confirmando dixit. *Si quis presbyteram, aut diaconissam, aut monacham, aut nurū, aut consobrinam, aut de propria cognatione, aut q̄ cognatus habuit, duxerit uxore, anathema sit. I T E M, si quis viduam furatus fuerit in uxore & virginem, nisi eam desponsauerit, anathema sit. Item, si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit.* Hic ordinauit Episcopos 150. presbyteros 25. diaconos 4. Qui defunctus est 3. Idus Februar.

C. Romanum
tom. 3. Concil.
Cap. 1. & 2. 3.
4. 5. 6. 7. 8. 9.
10. 11. 12.

N

X C II.